

Bibliothèque numérique

medic@

**Cocquerel, Jean-François - candidat /
Disdier, François-Michel - président. -
[De fracturâ rotulae]**

1754.

***Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum. Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae***

Cote : ms 2342, n°37

I 754



This image shows a blank, aged, cream-colored page, likely an endpaper or flyleaf of a book. The paper has a slightly textured appearance with some faint smudges and discoloration, characteristic of old paper. The left edge of the page is bound into a dark brown cover, which is visible as a vertical strip on the left side of the frame. The overall lighting is even, highlighting the subtle variations in the paper's tone.

[De fracturâ rotulae] - [page 2](#) sur 6



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



USITATISSIMA est humani corporis in Truncum & extremitates divisio. De variis Trunci partibus nihil eò loci ad nos attinet. Non item de extremitatibus quæ proposito nostro affines sunt, seu potius intimam habent cum illo necessitudinem. Superiores aliæ sunt, aliæ verò inferiores. Prioribus adscribuntur Scapula, Brachium, Antebrachium & Manus. In inferiorum classem Femur, Genu, Crus, & Pes propriè

2

dictus veniunt. His potissimum insistentes, quantum Rotulæ fracturam spectant, nonnulla de anatomicâ ipsarum structurâ præmittemus.

I I.

GENU itaque seu pars extremitatis inferioris secunda, uno præsertim osse quod Rotulam, Patellam-ve nuncupant, conflatur. Cujus ossis situm, figuram, facies, substantiam, cæterasque partes explanabunt nostræ responsiones.

I I I.

ARTICULATIONI Femoris cum Tibiâ inhæret Patellâ, ibique variis, sursùm videlicet, deorsùm & utroque-versùm, pro diverso articulationis statû, gaudet motibus. Spinæ aut Tuberositati Tibiæ, validissimo mediante ligamento, ex unâ parte connectitur. Duo insuper adsunt minori mole ligamenta lateralia. In periphæriâ observatur quoque ligamentum capsulare articulationi commune, musculorumque cruris extensorum aponevrosos convexam Rotulæ faciem involvit.

I V.

EXCAVATA duplici modo sese præbet facies Patellæ interna, ambæque cavitates, quarum externa latior, cartilagine peculiari involutæ, lineâ longitudinali & obtusâ à se invicem separantur.

EX CHIRURGIA.

I.

PLURIMIS quidem morbis opportuna est Rotula, ex quorum numero, instituto facturi satis, fracturam duntaxat perpendemus. Dicitur autem fractura in genere, continui solutio in osse à quâlibet causâ contundente originem ducens.

I I.

Ab essentiâ porro & causis Rotulæ fracturam producentibus species ac differentiæ desumendæ.

I I I.

EXTERNAS tantummodò hujus-ce fracturæ causas admittimus, cum internæ tanquàm prædisponentes habeantur. Causæ autem externæ ex lapsû, ictû, nixû, vehementi saltû, violentâ denique musculorum cruris extensorum contractione deducuntur; tunc verò vel in longitudinem, vel transversim, vel in plurimas etiam partes diffingitur Rotula.

I V.

UT vulgò facili negotio dignoscere est Patellæ fracturas; visû etenim tactûque adhibitis integra ne sit an comminuta pars illa, nemini non artis perito perspicuum est. Quin imò an longitudinaliter, an transversim, an tandem complures in partes comminuta sit nullo labore judicatur. Si tamen, ægrotante obeso, fursû ascendat vel exiguum Patellæ fragmentum, fateamur necesse est tunc temporis non ità in promptû futuram fracturæ cognitionem.

V.

CIRCA deducendam ex Rotulæ fracturâ prognosim consideranda occurrunt non pauca. Sæpè enim sæpiùs evenit ut ægrè admodum obtineatur curatio, quâ etiam admisâ ferè semper in posterum remanet progrediendi difficultas, cum ob succum in articulo diffusum, quo quidem plus æquo inspissatur liquor sinovialis, vel incrustantur articulationis cartilagines, tum ob imperfectam partium fractarum adunationem, leviolemque calli soliditatem.

V I.

SUA autem cuique in curandâ Patellæ fracturâ, quoad fasciam, arridet methodus. Hinc innumera fuerunt excogitata, quæ ad unicam tamen possunt revocari. Votorum quippè & artis eâ in re summam affectus fuerit, quisquis dimoras à se invicem

partes coadunârit, & in suâ Sede apparatus idoneo sitûque ac fasciâ juxta præscriptas leges institutâ firmius continuerit, tûm imminentibus prudenter occurrerit accidentibus, ac tandem, ut par erit & congruum, præsentia debellaverit.

*Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside
M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium
Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur JOAN-
NES-FRANCISCUS COCQUEREL, Vandolius, Artium
Liberalium Magister.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Martis 31^a, anno salutis 1754. à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO.

Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ.